



## **Opvs Theologicvm**

**Mauro, Silvestro**

**Romae, MDCLXXXVII**

Q. 143. Vtrum omnibus adultis in quolibet statu fuerit necessaria necessitate medij ad salutem, & iustificationem fides implicita, vel explicita Christi, & mysterii Trinitatis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84131)

15. Quæritur quinto, vtrum ad iustificationem adulti requiratur fides, qua explicitè credatur Deum esse remuneratorem remuneratione supernaturali reduplicatiuè, vel sufficiat fides, qua credatur Deum esse remuneratorem remuneratione supernaturali specificatiuè.

16. Respondeo cum Card. de Lugo Disp. 12. Sect. 5. num. 130. sufficere, vt explicitè credatur Deum esse remuneratorem remuneratione supernaturali specificatiuè, hoc est tantæ perfectionis, vt re ipsa sit supernaturalis, etiamsi non cogitetur explicitè de prædicato supernaturalis. Probatur: nam si quis credat Deum esse remuneratorem iustorum, dando illis vitam æternam, & beatitudinem, consistentem in visione Dei, etiamsi non cognoscat explicitè talem remunerationem esse supernaturalem, procul dubio potest ex hac fide iustificari; ergo &c.

17. Hinc sequitur ad iustificationem non sufficere, vt de Deo credamus prædicata naturaliter nota, sed requiri, vt credamus aliquod prædicatum naturaliter non notum, sed innotescens solum ex reuelatione, quale prædicatum est, quod Deus sit remunerator remuneratione supernaturali vitæ æternæ, ac remissionis peccatorum.

18. Quæritur sexto, quænam debeant credi per fidem, qua credimus, Deum esse remuneratorem remuneratione supernaturali.

19. Respondeo, quod debent credi omnia illa, quæ includuntur in fide Dei remuneratoris remuneratione supernaturali. Et quia in hac fide includitur, quod Deus impium ad diuinam misericordiam confugientem iustificat per gratiam suam, ideò vt docet Tridentinum, Sess. 6. cap. 6. debet in primis credi iustificari impium per gratiam ipsius Dei. Quia rursus in fide remuneratoris includitur Deum vnicuique retribuere iuxta merita, iustis quidem vitam æternam, & supernaturalem beatitudinem, impijs autem æternam miseriam, & priuationem beatitudinis, ideò hoc etiam debet credi necessitate medijs. Demum quia in his includitur immortalitas animæ rationalis, ideò debet credi immortalitas animæ rationalis, abstrahendo ab hoc, vtrum anima rationalis sit immortalis naturaliter, vel supernaturaliter, Deo illam in æternum conferuante supernaturaliter.

20. Quæritur septimò, vtrum hæc fides Dei remuneratoris supernaturalis fuerit necessaria etiam ante Christum in statu legis naturæ, & Mosaicæ.

21. Respondeo affirmatiuè. Nam rationes, & auctoritates allatæ probant illam fuisse semper necessariam. Confirmatur: nam Paulus ad Heb. 11. dicens: sine fide impossibile est placere Deo; accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quia inquirentibus se remunerator est: Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis promissionibus &c. loquitur expressè de iustis ante Christum in lege naturæ, & Mosaicæ, ni-

mirum de Abel, Henoch, Abraham, Ioseph, Moysè, Samuele, Dauid, & Prophetis.

22. Ad 1. respondeo existentiam Dei, etiam dum de illa habemus euentiam, credi posse, in complexo obscuro, vt explicatum est nu. 5.

23. Ad 2. concedo maiorem, & nego minorem. Ad iustificationem adulti requiritur, vt per actus voluntatis moueatur in Deum, vt vltimum finem supernaturalem; sed Deus cognoscitur vt vltimus finis supernaturalis per fidem, qua credimus illum esse remuneratorem remuneratione supernaturali; ergo &c. Verum quo pacto Deus non possit amari amore supernaturali charitatis, nisi ex fide Dei remuneratoris supernaturalis, explicabitur infra in Tract. de Charitate, qu. 151. n. 12.

24. Ad 3. nego maiorem. Si quis credat Deum esse remuneratorem, abstrahendo ab hoc, quod sit remunerator remuneratione naturali, vel supernaturali, non cognoscit Deum vt vltimum finem supernaturalem, adeoque non potest per actus voluntatis moueri in Deum vt vltimum finem supernaturalem, prout requiritur ad iustificationem.

25. Ad 4. Deus etiam in lege naturæ, & Mosaica, licet non adeo explicitè, sicut in lege gratiæ, promiserat vitam æternam, & remunerationem supernaturalem, vt patet ex testimonio Pauli ad Hebr. 11. relato num. 13. Ideo etiam in lege naturæ, & Mosaica ad iustificationem adulti erat necessarium necessitate medijs, vt crederet Deum esse remuneratorem remuneratione supernaturali.

### QVAESTIO CXLIII.

*Virum omnibus adultis in quolibet statu fuerit necessaria necessitate medijs ad salutem, & iustificationem fides implicita, vel explicita Christi, & mysterij Trinitatis?*

1. Videtur semper ad iustificationem, & salutem adulti suffecisse, & adhuc sufficere fides explicita Dei vt remuneratoris supernaturalis, ac non fuisse, nec esse necessaria, necessitate medijs fides explicita Christi, & Trinitatis, nisi prout continetur explicitè in fide Dei, vt remuneratoris supernaturalis; primo quia Apostolus ad Heb. 12. dicit: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia Deus est, & inquirentibus se remunerator est*; sed Apostolus eo loco enumerat omnia necessario credenda ad iustificationem, & salutem, alioquin tradidisset doctrinam valdè diminutam; ergo illa sufficiunt, & nihil aliud credendum est necessario necessitate medijs ad iustificationem, & salutem.

2. Secundo ad iustificationem, & salutem adulti non est necessaria necessitate medijs alia fides, quam quæ sufficienter dirigit ad intendendum vltimum finem supernaturalem, eumque à Deo firmissimè sperandum, & ad Deum super omnia amandum amore amice-

bili.

bili, cum voluntate efficaci obseruandi omnia diuina præcepta; sed fides explicita Dei vt remuneratoris supernaturalis sufficienter dirigit ad hæc, iuxta dicta quæst. 142. num. 6. ergo &c.

3. Tertio si dicatur fidem Dei vt remuneratoris supernaturalis suffecisse ante aduentum Christi, non sufficere post aduentum Christi, & post prædicationem Euangelij, contra est: nam argumenta allata probant fidem Dei remuneratoris sufficere etiam post aduentum Christi. Nam Paulus post aduentum Christi, & christianis loquens, dixit: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & inquirentibus se remunerator est*: & etiam post Christum fides Dei vt remuneratoris supernaturalis sufficienter dirigit ad intendendum finem supernaturalem, & Deum super omnia amandum amore amabili, & sufficienti ad iustificationem.

4. Quarto ideo ante aduentum Christi aliqui poterant saluari, & iustificari per solam fidem Dei vt remuneratoris, quia aliquibus poterat proponi sola reuelatio Dei vt remuneratoris supernaturalis, absque eo quod proponeretur reuelatio Mediatoris venturi, ac proinde poterant credere in Deum vt remuneratorem supernaturalem, eumque super omnia diligere, & sic iustificari, & saluari; sed etiam post Christum potest alicui ab initio proponi sola reuelatio Dei vt remuneratoris supernaturalis, absque eo quod proponatur Christus, qui iam venit, & passus est pro nobis, & ille potest credere in Deum vt remuneratorem supernaturalem, eumque super omnia diligere, & sic iustificari; ergo &c.

5. Respondeo, quod vt docet S. Thomas 2. 2. quæst. 2. art. 7. ad 3. ex eoque communiter Theologi, qui credit explicitè Deum esse iustificatorem, saluatorem, & remuneratorem supernaturalem hominum secundum modos sibi placitos, & secundum quod aliquibus cognoscentibus spiritus reuelasset, credit implicitè Mediatorem, hoc est Christum, siquidem Christus est præcipuum medium, per quod Deus homines iustificat, & saluat; credit etiam implicitè Trinitatem, siquidem Deus est trinus, & vnus, & Christus mediator est secunda Persona Trinitatis, ac per gratiam Spiritus Sancti iustificat, & sanctificat homines; sed vt dictum est quæst. 142. semper fuit adultis necessaria necessitate mediij fides Dei vt iustificatoris, & remuneratoris per media sibi placita, & aliquibus reuelata; ergo semper fuit omnibus necessaria necessitate mediij fides implicita Christi, & mysterij Trinitatis. Quæritur, vtrum vltra hanc fidem implicitam Christi, & Trinitatis, ante Christum in lege naturæ, & Mosaica, & post Christum in statu legis Euangelicæ, fuerit, & sit necessaria necessitate mediij alia fides magis explicita Christi, & Trinitatis, & quænam sit talis fides explicita?

6. Plures sunt sententiæ, ac reduci possunt

ad quinque, duas extremas, & tres medias. Prima sententia extrema docet, nunquam post peccatum Adæ ad iustificationem, & salutem adultorum suffecisse fidem implicitam Christi contentam in fide Dei vt remuneratoris supernaturalis, sed semper fuisse necessariam necessitate mediij fidem explicitam Christi sub conceptu mediatoris. Ante Christum ergo in lege naturæ, & Mosaica debebat crediti Deum esse iustificatorem, & saluatorem per mediatorum mittendum; post Christum crediti debet Deum esse iustificatorem, & saluatorem per mediatorum iam missum, qui mediator est Christus. Docuerunt hanc sententiam Corduba in Quæstionario, lib. 2. quæst. 5. ad 3. Coninch. de Fide disp. 14. dub. 9. num. 147. Suarius autem disp. 12. de Fide, sect. 4. num. 17. putat illam esse probabilem, ac num. 14. dicit, quod videtur certè fuisse Augustini, præsertim Ep. 109. & lib. 18. de Ciuit. cap. 47. lib. 5. contra duas Epist. Pelagianorum, cap. 21. & lib. 3. cap. 4. & lib. 15. contra Faustum, cap. 24. & sequentibus.

7. Secunda sententia extremè contraria, docet semper etiam post Christum ad iustificationem adultis, & salutem suffecisse, & iustificare fidem implicitam Christi, vt contentam in fide Dei vt remuneratoris supernaturalis, ac fidem magis explicitam non esse necessariam necessitate mediij, sed necessitate solius præcepti. Docuerunt hanc sententiam Michael de Medina lib. 4. de Recta in Deum fide, cap. 10. Vega lib. 6. in Trident. cap. 2. lauellus 2. par. Christianæ Philolophiæ, tract. 1. cap. 1. Zumel 1. 2. quæst. 89. art. 6. disp. 4. & alij, quos sequuntur Suar. disp. 12. sect. 4. n. 10. Turrianus disp. 27. dub. 4. Hurtadus disp. 12. sect. 4. nu. 91. & alij.

8. Tertia sententia media docet in lege naturæ suffecisse fidem implicitam Christi contentam in fide explicita Dei vt remuneratoris supernaturalis; in lege Mosaica Iudeis adultis ad iustificationem, & salutem fuisse necessariam necessitate mediij fidem explicitam Christi sub conceptu mediatoris a Deo mittendi; ac multo magis in lege gratiæ post Christum esse necessariam necessitate mediij fidem Christi, qui iam venerit, ac sit Deus, & homo, ac passus sit pro peccatis nostris. Docuerunt hanc sententiam Aragonius de Fide quæst. 2. art. 5. concl. 4. & 5. Granado controu. 1. tract. 10. disp. 2. sect. 2. & alij. Videtur autem hæc sententia esse S. Thomæ 2. 2. quæst. 2. art. 7. ad 3. vbi loquens de Gentilibus dicit: *Si qui tamen saluati fuerunt, quibus reuelatio non fuit facta, non fuerunt saluati absque fide mediatoris, quia etsi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen fidem implicitam in diuina prouidentia, credentes Deum esse liberatorem hominum secundum modos sibi placitos, & secundum quod aliquibus veritatem cognoscentibus spiritus reuelasset, secundum illud Iob. 35. Qui docet nos super iumentis terra: Et Comm. in cap. 11. Epist. ad Hebræos explicans illa verba *Accedentem ad Deum oportet*.*

credere, expressè videtur hanc sententiam tradere.

9. Quarta sententia similiter media docet ante Christum non solum gentilibus, sed etiã Judæis ad iustificationem, & salutem sufficere fidem implicitam Christi inclusam in fide implicita Dei vt remuneratoris supernaturalis; post Christum in lege gratiæ necessariam esse necessitate mediij fidem explicitam Christi. Docet hanc sententiam Valentia de Fide, quæst. 2. puncto 4. Sanchez lib. 3. in Decal. cap. 2. & alij.

10. Quinta demum sententia media docet etiam post Christum ad iustificationem adulti sufficere fidem implicitam Christi inclusam in fide Dei vt remuneratoris supernaturalis, verum ad gloriæ, & salutis consecutionem esse necessariam necessitate mediij fidem explicitam Christi. Docent hanc sententiam Ganus Relect. de Sacram. part. 2. concl. 3. Ioannes de Bononia, tract. de Prædest. in Resp. ad Obiectiones, Ledesma, Bannez, Aragonius, & alij, quos refert Suar. disp. 12. de Fide, sect. 4. nu. 88.

11. Dicendum primo: probabilius est post peccatum Adæ fidem explicitam Christi saltem sub conceptu Mediatoris fuisse pro quolibet statu omnibus adultis ita necessariam necessitate mediij ad iustificationem, & salutem, vt nemo sine illa potuerit iustificari, ac saluari.

12. Probatum primo ex Scriptura. Ad Rom. 3. *Iustitia Dei per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in eum. Non enim est distinctio. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei; ergo Apostolus docet, quod quia omnes peccauerunt, in Adamo nimirum, omnes indigent gloria Dei, & iustitia Dei per fidem Iesu Christi, & quod non est distinctio; sed etiam qui fuerunt ante Christum in Adam peccauerunt; ergo omnes etiam qui fuerunt ante Christum, egerunt iustitiæ Dei per fidem Iesu Christi, & concludit: vt sit ipse iustus & iustificans eum, qui ex fide est Iesu Christi.*

13. Posset responderi ad fidem Christi sufficere, vt sit fides causata ex meritis, & gratia Christi, non requiri, vt sit fides Christi vt obiecti, vel non requiri vt sit fides explicita Christi vt obiecti, sed sufficere, vt sit fides implicita Christi contenta in fide explicita Dei, vt remuneratoris supernaturalis.

14. Sed contra; nam Apostolus dicit iustitiam Dei dari per fidem Iesu Christi omnibus, qui credunt in eum, idest Christum, vt patet ex contextu, & explicat S. Thomas in Commentario; ergo loquitur de fide, quæ sit Christi vt obiecti; sed non loquitur de fide solum implicita contenta in fide explicita Dei, vt remuneratoris supernaturalis; ergo &c. Probatum assumptum; nam si loqueretur de hac fide solum implicita, eodem pacto fuisset requisita ad iustificationem fides Christi, ac fides aliorum mediiorum à Deo ordinato-

rum ad iustificationem, qualia media sunt sacramenta, prædicatio Apostolorum &c. sed est absurdum, & contra communem sensum, quod non aliter fuerit ad iustificationem requisita fides Christi, ac fides aliorum mediiorum; ergo &c. Probatum maior; nam fides Christi requirebatur vt inclusa in fide Dei, vt iustificatoris, & remuneratoris per media ab ipso ordinata; sed non solum Christus est medium à Deo ordinatum ad iustificationem, sed etiam sacramenta, prædicatio Apostolorum &c. sunt media ad eundem finem à Deo ordinata; ergo &c. Breuiter; dum Scriptura, & Patres dicunt, semper ad iustificationem adultorum fuisse necessariam fidem Christi, significant illam non solum fuisse necessariam illo modo generali, quo fuit necessaria fides aliorum mediiorum à Deo ordinatorum ad nostram iustificationem; ergo fuit necessaria fides explicita Christi, saltem sub conceptu Mediatoris à Deo mittendi. Confirmatur; nam Actorum 4. Petrus loquens de Christo dicit; *non est in alio aliquo salus. Neque enim aliud nomen est sub celo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri; ergo oportet nos saluos fieri in nomine Christi, credendo nimirum in Christum sub aliquo nomine, & conceptu, non communi, sed proprio ipsius; sed si sufficisset fides implicita Christi inclusa in conceptu Dei vt remuneratoris per media à Deo disposita, sufficisset fides Christi sub conceptu, & nomine mediij ad nostram salutem, qui conceptus, & quod nomen est commune omnibus alijs medijs à Deo ordinatis ad nostram iustificationem, & salutem; ergo nunquam suffecit fides Christi sub eo conceptu, & nomine generali, sed fuit necessaria fides Christi, sub conceptu, & nomine mediatoris proprio ipsius Christi.*

15. Probatum secundo ex Patribus. Ignatius Epist. ad Philippenses dicit; *Omnes Sancti saluandi sunt per Christum, in ipso sperantes, atque ipsum spectantes; sed valde impropitè Sancti, qui fuerunt ante Christum, dicuntur sperasse in Christo, & ipsum spectasse, si non crederunt, & sperarunt in ipso, saltem sub conceptu mediatoris; ergo &c.*

16. Hieronymus in cap. 2. Epist. ad Gal. explicans illa verba; *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro, dicit: Quos admonere debemus, eos hic dici iustitiam non consecutos, qui tantum ex operibus iustificari se posse credunt, sanctos autem, qui antiquitus fuerunt, ex fide Christi iustificatos, Siquidem Abraham vidit diem Christi, & letatus est, Io. 8. & Moyses maiores diuitias aestimabat thesauris Aegyptiorum impropitè Christi. Aspiciat enim in remunerationem. Ad Hebr. 1. Et in Comm. cap. 3. ad Ephesios explicans illa verba, in quo habemus fiduciam, & accessum in confidentia per fidem eius, dicit; cuius fiducia, atque accessus, & origo fides in Christo est; In Comm. cap. 21. Matthæi explicans illa verba; Turba, qua præcedebant, & sequebantur, clamabant, dicentes Hosanna &c. dicit; utrumque ostendit populum,*

lum, & qui ante Euangelium, & qui post Euangelium Domino crediderunt, consona Iesum confessionis voce laudare, & secundum superioris parabola exemplum diuersarum horarum operarios unum fidei accipere primum; ergo Hieronymus docet omnes etiam ante Christum iustificatos, & saluatos ex fide Christi, procul dubio speciali, non autem illa generali, qua credebantur omnia media ad salutem.

17. Augustinus hoc idem clarè docet pluribus locis. Epist. 157. non multo post initium dicit: Cuius hominis, eiusdemque Dei saluberrima fide, etiam illi iusti salui facti sunt, qui priusquam veniret in carne, crediderunt in carne venturum. Eadem enim est fides nostra, & illorum, quoniam hoc illi crediderunt futurum, quod nos credimus factum; unde dicit Apostolus: habentes eundem spiritum fidei &c. ergo expressè dicit antiquos credidisse futurum, quod nos credimus factum; ergo iustificati sunt in fide Christi sub conceptu mediatoris venturi: & paulo post dicit: Si ergo & illi, idest Patres, portare iugum legis veteris non valentes, per gratiam Domini nostri Iesu Christi, se saluos fieri crediderunt, manifestum est, quod hoc gratia etiam antiquos iustos viuere fecit ex fide. Et Paulo post concludit. Proinde cum omnes iusti, hoc est veraces Dei cultores siue ante Incarnationem, siue post Incarnationem Christi, nec vixerint, nec viuant, nisi ex fide Incarnationis Christi, in quo est gratia plenitudo, profecto quod scriptum est Act. 4. non esse aliud nomen sub caelo, in quo oportet et saluos fieri nos, ex illo tempore valet ad saluandum genus humanum, in quo in Adam vitiatum est genus humanum; ergo docet vniuersim iustos etiam ante Christum non vixisse vita gratiæ, nisi ex fide Incarnationis &c. Epist. 89. ante medium: Vt sciamus etiam antiquos iustos, quicumque esse potuerunt, non nisi per eandem fidem liberatos, per quam liberamur & nos, scilicet Incarnationis, qua illis prænunciabatur, sicut, à nobis facta annunciat; ideo idem Apostolus Christum hominem dicit, cum sit & Deus, ne quis existimet antiquos iustos per Deum tantummodo Christum, idest per Verbum, quod erat in principio, non etiam per fidem Incarnationis eius, qua & homo Christus dicitur, fuisse liberatos. E paulo post: Hæc ergo fides etiam antiquorum iustorum fuit. Vnde & Apostolus dicit: habentes eundem spiritum fidei &c. Non diceret eundem spiritum fidei, nisi admonens etiam antiquos iustos habuisse ipsum spiritum fidei, hoc est Incarnationis Christi, sed quia illis futura prænunciabatur, que iam facta à nobis enunciat &c. Lib. de Natura, & Gratia, cap. 2. dicit. Si natura humana sibi posset sufficere ad implendam, perficiendamque iustitiam, de præmio debet esse secunda, etiamsi fides aliquo tempore eam latuit sanguinis Christi &c. Quod si potuit, aut potest, hoc ego dico, quod de lege dixit Apostolus ad Gal. 2. ergo Christus gratis mortuus est &c. Si autem non gratis Christus mortuus est; ergo omnis humana natura iustificari, & redimi ab ira Dei iustissima, hoc est vindicta, nullo modo potest, nisi per fidem, & sacramentum sanguinis Christi. Lib. 8. de Ciuit. cap. 47. loquens de Iob, qui cum esset ex populo genti-

li, fuit iustus, & placuit Deo; dicit: Diuinitas autem prouisum fuisse non dubito, ut ex hoc uno saluaretur, etiam per alias gentes esse potuisse, qui secundum Deum vixerunt, eique placuerunt, pertinentes ad spiritualem Hierusalem: quod nemini concessum fuisse credendum est, nisi cui diuinitus reuelatus est vnus mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus, qui venturus in carne sic antiquis prænunciabatur, quemadmodum nobis venisse nunciatus est, non vna, eademque fides per ipsum omnes in Dei ciuitatem, in domum Dei, in templum Dei predestinate perducit ad Deum. Lib. 2. de Peccato Originali, cap. 24. dicit. Sine fide ergo Incarnationis, ac mortis, ac resurrectionis Christi, nec antiquos iustos, nec iusti essent à peccatis potuisse mundari, & Dei gratia iustificari, veritas christiana non dubitat, siue in iustis, quos sacra Scriptura commemorat, siue in iustis, quos illa quidem non commemorat, sed tamen fuisse credendi sunt, vel ante diluuium, vel inde usque ad datam legem, vel ipsius legis tempore, non solum in filiis Israel, sicut fuerunt Propheta, sed etiam extra eundem populum, sicut fuit Iob; ergo Augustinus non solum docet neminem in villo statu iustificatum sine fide explicita Christi, sed dicit, quod de hoc, tamquam de certissimo dogmate, veritas christiana non dubitat. Possent afferri alia testimonia Augustini, sed hæc abundè sufficiunt.

18. Quæres, vtrum huic doctrinæ Patrum, ac præsertim Augustini contradicat S. Thomas 2. 2. quæst. 2. art. 7. ad 3. vbi loquens de Gentilibus ante Christum, postquam ostendit Iob, Sybillas, & plures alios habuisse reuelationem de Christo, concludit. Si qui tamen saluati fuerunt, quibus reuelatio non fuit facta, non fuerunt saluati absque fide mediatoris, quia est non habuerunt fidem explicitam, habuerunt fidem implicitam, in diuina prouidentia credentes. Deum esse liberatorem hominum, secundum modos sibi placitos, & secundum quod aliquibus veritatem cognoscitibus spiritus reuelasset, secundum illud Iob 35. Qui docet hominem scientiam.

19. Respondeo S. Thomam loco citato cautè loqui, & solum asserere, quod si qui saluati sunt absque fide explicita Christi sub conceptu mediatoris, non sunt saluati sine fide explicita creatoris: at non concedit absolute vllum adultum saluatum esse sine fide explicita Christi, saltem sub conceptu mediatoris; ergo S. Thomas eo loco non contradicit Augustino, & alijs Patribus absolute negantibus quemquam saluatum esse, aut in hoc prouidentia saluari potuisse, sine fide explicita mediatoris. Etiam si igitur S. Thomas alibi, ac præsertim in Comm. cap. 11. Epist. ad Hebræos insinuet aliquos absolute saluatos fuisse sine fide explicita Christi sub conceptu mediatoris, dicendum, quod id limitat loco citato Summæ, in quo quæstionem hanc examinat magis ex professo.

20. Posito, quod post peccatum Adami nullus adultus fuerit iustificatus, & saluatus sine fide explicita Christi saltem sub conceptu mediatoris, quæri potest primo, vtrum fides

explicita Christi saltem sub conceptu mediatoris fuerit ad iustificatiouem adultorum necessaria, quasi ex natura rei, & ex obiecto, an solum concomitanter, & ex ordinatione extrinseca Dei?

21. Respondeo fuisse necessariam solum concomitanter, & ex ordinatione extrinseca Dei, non autem quasi ex natura rei, & ex obiecto. Probat: nam ex natura rei, & ex obiecto solum requiritur fides sufficienter dirigens ad intendendum vltimum finem supernaturalem, ad eius consecutionem à Deo sperandam, & ad amandum Deum super omnia amore amabili; sed fides explicita Dei, vt remuneratoris supernaturalis, sufficienter dirigit ad hæc, vt explicatum est quæst. 142. nu. 6. ergo ex natura rei, & ex obiecto solum est necessaria, & sufficiens fides explicita Dei, vt remuneratoris supernaturalis, ac prouidens fides explicita Christi, saltem sub conceptu mediatoris, fuit necessaria solum concomitanter, & ex ordinatione extrinseca Dei. Quia verò Apostolus ad Heb. 11. voluit solum assignare ea, quorum fides explicita est adultis necessaria ad iustificationem ex natura rei, & quasi ex obiecto, solum assignauit fidem Dei vt remuneratoris, ac non fecit mentionem fidei explicitæ mediatoris, quam tamen alibi locis citatis satis clarè insinuat esse necessariam, intellige concomitanter, vt dictum est.

22. Sed explicandum est, quo pacto fides mediatoris licet non fuerit ad iustificationem adultorum necessaria ex obiecto, & ex natura rei, fuerit necessaria concomitanter, & ex ordinatione diuina.

23. Granada 2.2. controu. 1. de Fide, tract. 10. disp. 2. sect. 3. nu. 2. vt explicet, quo pacto post Christum, & post prædicationem Euangelij, nemo possit iustificari sine fide explicita Christi, docet ad prouidentiam Dei spectare, vt qui credit in Deum supernaturalem remuneratorem, & est facturus actus voluntatis supernaturales sufficienter disponentes ad iustificationem, habeat etiam explicitam notitiam Christi, ac Deum non concurrere ad actus voluntatis sufficienter disponentes ad iustificationem, nisi simul efficiendo, vt ille explicitè credat in Christum. Proportionaliter posset dici ante Christum ad diuinam prouidentiam spectasse, vt omnes adulti, qui ex fide Dei remuneratoris erant Deum amaturi super omnia, & sic se sufficienter disposuerunt ad iustificationem, haberent notitiam, & fidem implicitam Christi sub conceptu mediatoris.

24. Facilius, & melius dici potest, Deum post lapsum Adami reuelasse simul, & indubitanter, se esse iustificatorem, & remuneratorem per mediatorem, & ita res disposuisse, vt nemini proponatur sufficienter ad credendum super omnia fide diuina reuelatio de Deo vt iustificatore, & remuneratore, quin proponatur sufficienter reuelatio de Deo vt iustificatore, & remuneratore per mediatorem;

sed cum duo articuli simul proponuntur sufficienter, non potest fide diuina credi vnus, quin explicitè credatur alius; ergo nemo potuit vnquam, aut potest fide diuina credere in Deum vt iustificatorem, & remuneratorem supernaturalem, quin simul credat in Deum vt iustificatorem, & remuneratorem per mediatorem; ergo sicut ad iustificationem adulti necessaria est ex obiecto, & ex natura rei fides super omnia Dei vt remuneratoris supernaturalis, sic concomitanter est, & semper fuit necessaria fides Christi, saltem sub conceptu mediatoris.

25. Explicatur. Adam post peccatum non potuit iustificari, & saluari, nisi credendo super omnia in Deum, vt iustificatorem, & saluatorem per gratiam suam, & ex hac fide sperando iustificationem à Deo, & se conuertendo ad Deum per actum perfectæ charitatis, sed non potuit credere in Deum vt iustificatorem, & saluatorem, nisi Deus illi reuelasset se esse paratum ad illum iustificandum per gratiam, si conuerteretur ad Deum, credendo, sperando, & amando; ergo procul dubio Adamo post lapsum facta fuit hæc reuelatio; sed Adamo vtpotè capiti, & principi generis humani fuit reuelatus Deus, non solum vt iustificator, & saluator, sed etiam vt iustificator, & saluator per mediatorem venturum; ergo Adam non potuit credere in Deum vt iustificatorem, & saluatorem, quin crederet simul in mediatorem venturum, adeoque non potuit iustificari sine fide explicita Christi, saltem sub conceptu mediatoris; sed Adam dum filios, & nepotes instruebat in fide sibi reuelata, instruebat illos in fide Dei vt iustificatoris, & saluatoris per mediatorem mittendum; ergo etiam illi non poterat fide diuina credere vnum sine altero, adeoque si erant adulti, non poterant iustificari sine fide Christi, saltem sub conceptu mediatoris venturi. In familia igitur Adami orta est prima Ecclesia hominum credentium in Deum iustificatorem, saluatorem, & remuneratorem per mediatorem venturum, quæ sicut fuit Ecclesia credentium in Christum, potest dici fuisse Ecclesia christiana; & sicut familia Adami propagata deinde est in plures familias, & gentes, ita Ecclesia cum fide in Deum vt iustificatorem, saluatorem, & remuneratorem per mediatorem venturum, propagata est in plures familias, & gentes, diuina prouidentia ita disponente, vt nemini sufficienter per signa credibilitatis, & internam illuminationem proponeretur Deus vt iustificator, saluator, & remunerator supernaturalis, quin proponeretur vt iustificator &c. per mediatorem venturum.

26. Confirmatur, & magis explicatur. Nam de facto post prædicationem Euangelij sola religio christiana habet sufficientem credibilitatem ad fidem super omnia; sed religio christiana ex prima nominis significatione est religio credens in Deum vt iustificatorem,

saluatorem, & remuneratorem per Christum; ergo de saeculo post predicationem Euangelij nemini proponitur vera religio vt sufficienter credibilis, quin proponatur Christus, ac proinde nemo potest credere super omnia, prout requiritur ad iustificationem adulti, quin credat in Christum. Ante Christum parvulis Iudaorum, cum perueniebant ad usum rationis, religio Iudaorum proponebatur vt sufficienter credibilis; sed religio Iudaorum ex primo conceptu, & explicatione nominis erat religio expectantium Messiam, ac proinde credentium in Deum vt remuneratorem per Messiam venturum; ergo etiam Iudaei cum perueniebant ad usum rationis, non poterant credere super omnia in Deum, vt remuneratorem, quin simul crederent in Christum, hoc est in Messiam venturum. Ex populis gentium nullus adultus poterat iustificari, nisi ex fide stricta Dei vt remuneratoris supernaturalis, fundata non in solo testimonio creaturarum, sed in diuinam revelatione, vt dictum est quaest. 141. num. 23. Vel ergo haec reuelatio fiebat ipsis immediatè ministerio Angelorum &c. & existimandum est, quod indiuisibiliter illis reuelarentur Deus vt iustificator, & remunerator supernaturalis per mediatorem venturum; vel fiebat mediatè per hominem, & hic debebat proponere signa credibilitatis, quae habebat aliqua Ecclesia, vel familia fidelis, puta Ecclesia Iudaorum, familia Abrahæ, familia Iob, &c. sed in istis Ecclesijs, vel familijs fidelibus dabantur indiuisibiliter signa credibilitatis pro reuelatione Dei vt remuneratoris per mediatorem venturum; ergo &c. Proportionaliter ante diluuij Adami propagauit familiam, & Ecclesiam credentium in Deum vt iustificatorem, & remuneratorem per mediatorem venturum, quae Ecclesia habebat signa credibilitatis indiuisibiliter pro hoc toto, adeoque nemini proponebatur vt sufficienter credibile vnum sine altero, ac proinde nemo poterat credere super omnia vnum sine altero. Confirmatur rursus. Nam quotquot ex populo gentili scimus habuisse fidem, scimus habuisse fidem mediatoris, & Redemptoris. Nam Iob. cap. 19. professus est fidem Christi, dicens; *Scio enim quod Redemptor meus uiuit &c. & in carne mea uidebo Deum Saluatorem meum &c.* quibus uerbis uidetur profiteri fidem redemptoris, tanquam uulgatam apud fideles illius temporis. Sibyllæ etiam multa scripserunt de Christo.

27. Opponi potest primo: Apost. ad Gal. 3. dicit: *Antequam ueniret fides, sub lege custodiebamur, conclusi in eam fidem, quae reuelanda erat;* ergo Apostolus docet, quod ante fidem explicitam Christi, quae reuelata fuit per predicationem Euangelij, tempore legis naturæ, ac legis Mosæ datur solum fides implicita Christi.

28. Respondeo fidem antiquorum de Christo procul dubio fuisse implicitam, si com-

paretur cum fide nostra, vt magis explicatur paulo post.

29. Opponi potest secundo: Tridentinum sess. 6. cap. 2. dicit Christum ante legem, & legis tempore multis Sæctis Patribus fuisse declaratum, & promissum; ergo significat non fuisse declaratum, & promissum omnibus hominibus.

30. Respondeo Tridentinum loqui de declaratione, & promissione immediata, ac non negare, quod per illos, quibus Christus fuit immediatè reuelatus, & promissus, fuerit etiam mediatè promissus, & declaratus alijs, saltè sub conceptu mediatoris.

31. Opponi potest tertio: Iustinus Apolo. pro christianis, Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum, Chryostomus Hom. 17. in Matth. docent gentiles ante Christum potuisse saluari sine fide explicita Christi; ergo &c.

32. Respondeo Patres illos à Suario disp. 12. de Fide, sect. 2. num. 1. referri pro sententia Vegæ, & aliorum docentium, gentiles ante Christum potuisse iustificari per cognitionem naturalem Dei, quae sententia procul dubio est reiicienda ex dictis quaest. 141. num. 2. & seqq. Possunt etiam afferri pro sententia asserente aliquando suffecisse fidem latè dictam ex testimonio creaturarum, quae sententia reiecta est eadem quaest. num. 21. Adde Chryostomum posse ita explicari, vt neget solum fuisse necessariam fidem explicitam Christi, sub conceptu filij Dei incarnati, non autem sub conceptu mediatoris.

33. Opponi possunt quarto Hugo de S. Victore lib. 1. de Sac. part. 10. cap. 6. ubi arguit ante Christum fuisse necessariam fidem explicitam Christi, & Bernardus Epist. 77. Hugoni consentiens.

34. Respondeo Hugonem, & Bernardum eo loco impugnare quemdam, qui assererat (verba Bernardi sunt) *Omnes antiquos iusti, quotquot uidelicet Christi aduentum praesenserunt, tantam omnino habuisse praescientiam futurorum, quantum nos, qui post sumus, praetorum scripturarum, ita ut nullus vel simplicium iustorum aliquid prior ignoraret ex omnibus, quae nobis Euangelica pariter historia, V. G. Verbum Incarnatum, partum uirginalem, doctrinam Saluatoris, miracula, crucem, mortem, sepulturam, descensum ad inferos, resurrectionem, & ad caelos ascensionem &c.* Reiecta hac sententia, Bernardus concludit, explicitam, quam illi deberent explicitè credere, accidit: Ita ergo multi ante Saluatoris aduentum Deum omnipotentem tenentes, & diligentes sua salutis gratitudo promissorem, credentes in promissione fideliter sperantes certissimum redemptorem, in hac fide, & saluatione saluari sunt licet quando, & quo ordine salus repromissa fieret, ignorarent; ergo Bernardus docet omnes antiquos credidisse, & sperasse certissimum Redemptorem, ac proinde credidisse in Christum sub conceptu Redemptoris, seu mediatoris. Idem docet Hugo loco citato; ergo Bernardus, & Hugo stant pro nostra sententia.

35. Opponi potest quinto ex Suario disp. 12. sect. 3. num. 15. Medium omnibus necessarium debuit publicè omnibus prædicari, & promulgari; sed tempore legis naturæ, & Mosaicæ Christus etiam sub conceptu mediatoris non fuit publicè prædicatus, & promulgatus omnibus, præsertim gentilibus; ergo nõ est verosimile fidem Christi sub conceptu mediatoris fuisse medium omnibus, & singulis adultis necessarium ad salutem.

36. Respondeo, quod eodem argumento probari posset fidem explicitam Dei, vt reuelantis se esse iustificatorem, & remuneratorem supernaturalem, non fuisse omnibus, & singulis adultis necessariam ad iustificationem, & salutem, siquidem hæc reuelatio non fuerat publicè prædicata, & promulgata omnibus, præsertim gentilibus. Sicut ergo Suarius dicit hanc reuelationem ex quadam traditione fuisse sufficienter promulgatam, sic nos dicimus reuelationem Dei vt iustificatoris, & remuneratoris per mediatorem fuisse sufficienter promulgatam, ita vt omnes adulti, diuina gratia excitati, possent inquirere, & ad talis reuelationis sufficientem notitiam peruenire, & credere, ac iustificari.

37. Vrger Suarius. Fides explicita Christi vt mediatoris supponit notitiã explicitã peccati originalis; ergo etiam fides explicita peccati originalis fuisset medium necessarium ad salutem.

38. Respondeo, nego antecedens. Nam fides, qua creditur Deum esse iustificatorem, & remuneratorem supernaturalem, per mediatorem, non supponit fidem explicitam peccati originalis, sed solum supponit fidem de hoc, quod nemo possit consequi promissam iustificationem à peccatis, & remunerationem, nisi per mediatorem.

39. Quæri potest secundo, vtum fides Christi ab initio fuerit minus explicita, deinde fuerit magis explicita, tum in maioribus, tum in minoribus, ita vt in lege naturæ fuerit minus explicita, quam in lege Mosaica, & in lege Mosaica fuerit minus explicita, quam post Christum in lege Euangelica?

40. Respondeo affirmatiuè, vt docent Patres, & Theologi, ac præsertim Hugo de S. Victore, lib. 1. de Sacr. part. 10. cap. 6. Bernardus Epist. 77. ac S. Thomas 2. 2. quæst. 2. art. 7. & alij communiter.

41. Primo ergo, vt docet S. Thomas 1. 2. quæst. 64. art. 1. ac plures alij, quos refert, & sequitur Suarius, lib. 5. de Angelis, cap. 16. Angeli dum fuerunt in statu viæ, habuerunt reuelationem, & fidem Incarnationis, ac Christi, scilicet ignorarint Verbum incarnandum occasione peccati. Immo, vt docet Suarius lib. 7. de Angelis, cap. 13. alijque apud ipsum, Lucifer, & Angeli mali peccarunt occasione reuelationis ipsis factæ de Incarnatione Verbi. Videri possunt quæ de hoc puncto dixi tom. 1. qu. 157. n. 7. & sequ. & qu. 182.

42. Secundo vt docet S. Thomas 2. 2. qu. 2. art. 7. in corp. Adam ante statum peccati habuit ex-

PLICITAM FIDEM DE CHRISTI INCARNATIONE, secundum quod ordinabatur ad consummationem gloria, non autem secundum quod ordinabatur ad liberationem à peccato per passionem, & resurrectionem, quia homo non fuit præsciens peccati futuri. Videtur autem Incarnationis Christi præsciens fuisse per hoc, quod dixit: Propter hoc relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit uxori suæ, vt habetur Gen. 2. & hoc Apost. ad Eph. 5. dicit Sacramentum magnum esse in Christo, & Ecclesia, quod quidem Sacramentum non est credibile primum hominem ignorasse. Addo, quod quia vt dictum est quæst. 141. num. 20. primi parentes ante lapsum disposuerunt se ad gratiam sanctificantem per fidem, & actus supernaturales, rationabiliter censerent potest illos se disposuisse per fidem Christi.

43. Tertio vt eodem art. 7. docet S. Thomas, post peccatum fuit explicitè creditum, ab Adamo nimirum, & maioribus, mysterium Incarnationis Christi, non solum quantum ad Incarnationem, sed etiam quantum ad passionem, & resurrectionem, quibus humanum à peccato genus, & morte liberatur. Alioquin enim non præfigurassent Christi passionem quibusdam sacrificijs, & ante legem, & sub lege, quorum quidem sacrificiorum significatum explicitè maiores cognoscebant, minores autem sub velamine illorum sacrificiorum, crederent ea diuinitus esse disposita de Christo venturo, quodammodo habebant velatam cognitionem. Adamo igitur post peccatum reuelatus fuit explicitè Christus Deus, & homo per suam passionem, & resurrectionem redempturus genus humanum, ac ex fide explicita incarnationis, passionis, & resurrectionis iustificatus est. Ideo ad passionem Christi figurandam instituit varia sacrificia, præsertim cruenta; ac Gen. 4. de Abel dicitur: Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum. Reuelatio explicita horum mysteriorum communicabatur maioribus, ac doctioribus, qui instruebantur de significatione sacrificiorum; minoribus verò, id est simplici populo communicabatur reuelatio implicita mediatoris venturi, & instruebantur ad hoc, vt crederent per sacrificia significari quæ spectant ad mediatorem venturum, ideoque iustificabantur per fidem explicitam Christi sub conceptu mediatoris, & per fidem implicitam eorum, quæ spectant ad eius passionem, & resurrectionem. Ideo Christus Apoc. 13. dicitur Agnus occisus ab origine mundi, quia eius mors fuit credita, & figurata sacrificijs institutis ab origine mundi.

44. Quarto addit ibidem S. Thomas: Sicut supra dictum est quæst. 1. art. 7. ea, quæ ad mysteria Christi pertinent, tanto distinctius cognouerunt, quanto Christo propinquiores fuerunt. Desumpsit hanc doctrinam S. Thomas ex Patribus, & præsertim ex Gregorio, qui Hom. 16. in Ezech. dicit: secundum incrementa temporum creuit scientia Sanctorum Patrum, & quanto viciniore aduentui Saluatoris fuerunt, tanto Sacramenta salutis plenius perciperunt. Hugo de S. Victore lib. 1. de Sacramentis, par. 10. cap. 6. hoc magis explicans dicit. Ante legem Deus creator credebar, Mmm 2 ab

& ab eo salus, & redemptio expectabatur, per quem verò, & quomodo eadem salus implenda, ac perficienda foret, exceptis paucis, quibus hoc scire singulariter in munere datum erat, à ceteris etiam fidelibus ignorabatur. Sub lege autem Persona Redemptoris mittenda predicabatur. Quæ autem ipsa Persona hæc foret, homo, an Angelus, an Deus, nondum manifestabatur; soli hoc cognouerunt, qui per spiritum singulariter ad hoc illuminati fuerunt. Sub gratia autem manifestè omnibus iam, & predicatur, & creditur modus redemptionis, & qualitas Personæ assumptæ. Semper tamen in Ecclesia Dei fides, & cognitionem fuisse credimus Incarnationis, & passionis Christi, quia ab initio nunquam defuerunt, qui hoc cognouerunt. Alij saluabantur, quia horum perfectioni fide simplici iungebantur, & eos bene operando, sequebantur. Dum dicit, quod etiam ante legem expectabatur redemptio, significat, quod expectabatur redemptor, adeoque Christus sub conceptu redemptoris.

45. Queritur tertio, utrum in lege gratiæ post promulgatum Euangelium, adultus ad iustificationem sit necessaria fides explicita Christi, non solum sub conceptu mediatoris, sed sub conceptu filij Dei, qui factus sit homo, & pro nobis crucifixus, & mortuus sit, ac deinde resurrexerit?

46. Respondeo esse necessariam, non quidem ex natura rei, & ex obiecto, sed concomitantè, & ex ordinatione extrinseca Dei, proportionaliter ad dicta num. 16. Probatur: nam ex dictis num. 21. post prædicationem, Euangelij sola religio christiana habet sufficientem credibilitatem; sed religio christiana ex ipsa nominis significatione est religio credens in Deum, ut iustificatorem, & remuneratorem per Christum Filium Dei, pro nobis in nostra carne crucifixum, & qui deinde resurrexit; ergo nemini proponitur sufficienter reuelatio Dei, ut remuneratoris supernaturalis, quin proponatur Christus filius Dei pro nobis crucifixus, & qui resurrexit; ergo nullus adultus potest credere super omnia in Deum ut remuneratorem, quin credat in Christum filium Dei crucifixum, & qui resurrexit.

47. Confirmatur ex Scriptura, & Patribus. Ioan. 10. Christus de se ipso dicit: Ego sum ostium. Per me si quis introierit, saluabitur; ergo nullus adultus potest consequi salutem, nisi ingressus fuerit per Christum; sed ut explicat Gregorius lib. 7. Epist. 47. Ipse per Christum ingreditur, qui de eodem creatore, & redemptore humani generis vera sentit, & prædicata custodit; ergo ad iustificationem, & salutem adulti requiritur, ut de Christo vera sentiat, nimirum quod sit filius Dei pro nobis crucifixus, qui & resurrexit. Ioan. 3. Christus dicit: Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam; ergo ut quis non pereat, debet credere in Christum exaltatum in Cruce, hoc est crucifixum. Io. 6. Qui credit in me, habet vitam æter-

nam. Io. 10. Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti, Iesum Christum. Licet autem hic locus à S. Thoma 1. 2. qu. 12. art. 4. & 1. 2. qu. 3. art. 4. & lib. 3. contra Gentes, cap. 61. n. 4. intelligatur in sensu formali, ita ut significet vitam æternam, seu beatitudinem consistere formaliter in cognitione intuitiua Dei, tamen Cyrillus Alexandrinus, Augustinus, & alij, quos refert, & sequitur Cornelius in Comm. eius loci, intelligunt illum in sensu causali, ita ut sensus sit: hæc est causa vitæ æternæ, hæc est via ad vitam æternam, ut per fidem cognoscant homines, & credant te esse solum verum Deum, & Iesum Christum missum ad eorum salutem. Ideo Cyrillus Alexandrinus lib. 11. in Ioan. cap. 16. hunc locum explicans, dicit: Radicem atque originem fidei, & vere pietatis virtutem esse affirmat. Hinc Cornelius infert, Ad salutem, & vitam æternam requiri cognitionem, id est fidem, tum Incarnationis Iesu Christi, tum Trinitatis. Nam Pater non potest plenè cognosci sine filio, & Spiritu Sancto. Marci ultimo Christus dixit: Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creatura. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur: sed prædicare Euangelium est prædicare filium Dei pro nobis Incarnatum, crucifixum, ac mortuum fuisse, ac deinde resurrexisse; ergo qui hæc non crediderit, non poterit iustificari, & saluari, ac proinde condemnabitur. Act. 16. cum custos carceris interrogasset Paulum, Quid me oportet facere, ut saluus sim? Paulus respondit: Crede in Dominum Iesum, & saluus eris; ergo significauit ad iustificationem, & salutem esse necessariam fidem Christi. Hieronymus Comm. cap. 1. Epist. ad Ephes. explicans illa verba: Prædestinans nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum, dicit: Nec non etiam hoc inferendum, quod cum prædestinet nos, seu prædestinat Deus in adoptionem filiorum per Iesum Christum, tamen non ante filij esse possumus, nisi filij eius Iesu Christi fidem, & intelligentiam recipimus. August. lib. de Prædest. Sanctorum, cap. 7. loquens de Cornelio, de quo Act. 10. dicitur, eius acceptas fuisse elemosynas, & orationes, antequam credidisset, dicit: Nec tamen sine aliqua fide donabat, & orabat. Nam quomodo inuocabat, in quem non crediderat? sed si posset sine fide Christi esse saluus, non ad eum ad faciendum mitteretur architectus Apostolus Petrus; ergo Cornelius non potuit iustificari, & saluari sine fide Christi. Alludit Augustinus ad illud Pauli 1. ad Cor. 3. Ut sapiens architectus fundamentum posui &c. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus, quia nimirum fundamentum necessarium ad totum ædificium spirituale iustificationis adulti est fides Christi. Ideo Gregorius lib. 7. Epist. 47. his verbis relatis, dicit: Quisquis ergo cum dilectione Dei, & proximi, fidei, quæ in Christo est, firmitatem tenet, eundem Iesum Christum Dei, & hominis filium apud se posuit fundamentum. Augustinus etiam lib. de

de Spiritu; & Littera, cap. 29. dicit: *Fide igitur Iesu Christi impetramus salutem, & quantum in nobis inchoatur, in re per iustificationem nimirum, & quantum perficienda expectatur in spe, videlicet per beatitudinem.* Demum Tridentinum sess. 6. cap. 6. agens de dispositione adultis necessaria ad iustificationem dicit. *Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati à divina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes, libere mouentur in Deum, credentes vera esse, quæ diuinitus reuelata, & promissa sunt, atque illud in primis, à Deo iustificari impium per gratiam eius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu; ergo Tridentinum docet dispositionem adultis necessariam ad iustificationem esse fidem, qua in primis credatur à Deo iustificari impium per redemptionem, quæ est in Christo Iesu.*

48. Quæri potest quarto, vtrum post promulgatum Euangelium ad iustificationem adulti sit necessarium necessitate medij, vt credat explicitè mysterium Trinitatis?

49. Respondeo fidem explicitam Trinitatis, prout continetur in signo Crucis, & in forma baptismi, esse necessariam necessitate medij, non quidem ex natura rei, & ex obiecto, sed concomitanter, & ex ordinatione diuina, proportionaliter ad dicta num. 38. Probatnr ratione allata à S. Thoma 2. 2. quæstione 2. artic. 8. in corp. Nam ex dictis post promulgationem Euangelij ad iustificationem, & salutem necessaria est fides explicita Christi; sed fides Christi includit, quod filius Dei carnem assumpserit, & per gratiam Spiritus Sancti mundum renouarit, & quod de Spiritu Sancto conceptus fuerit; ergo includit fidem Patris, Filij, & Spiritus Sancti, ac proinde nemini proponitur sufficienter fides Dei, vt iustificatoris, & remuneratoris supernaturalis, quin illi proponatur fides Christi, & nemini sufficienter proponitur fides Christi, quin proponatur fides Patris, Filij, Spiritus Sancti, ac Trinitatis, cuius inuocatione adulti iustificentur in baptismo suscepto re, vel voto.

50. Opponitur. Act. 10. de Cornelio Centurione, natione Gentili, narratur, quod antequam crederet in Christum, erat religiosus, ac timens Deum cum omni domo sua, & faciens eleemosynas multas plebi, ac deprecans Deum semper, & quod Angelus apparens, dixit illi, *Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei;* sed hæc significant, quod Cornelius iam erat iustus; ergo Cornelius iustificatus fuit, antequam crederet explicitè in Christum, ac proinde etiam post Christi aduentum fides explicita Christi non est omnibus necessaria necessitate medij ad salutem.

51. Respondeo de Cornelio duas esse sententias Patrum, & Theologorum. Prima docet Cornelium ex fide quadam inchoata, & imperfecta in Deum remuneratorem fuisse iustum, & religiosum iustitia quadam imperfecta, & dispositiua, sed nondum adeptum

iustificationem, & remissionem peccati, quam solum adeptus est deinde, postquam ex prædicatione Petri credidit fide perfecta, & super omnia in Christum. Hanc sententiam docuerunt Chrysostomus tom. 3. agens de Fide, & lege naturæ, ac dicens: *Et vis plane videre, quod opera sine fide non viuificantur? Testimonium bonum habuit Cornelius de Eleemosyna, & precibus, & Christum ignorabat; & quia magnus ille iustitiæ, & veritatis Index personarum respectum nesciens vidit bona quidem opera, sed mortua, quia fidem non habebat, misit diuinum Angelum.* Gregorius Homil. 9. in Ezechielem dicens: *Vnum sine altero nihil prodesse valet, quia nec fides sine operibus, nec opera sine fide, nisi fortasse pro fide percipienda; sicut Cornelius pro bonis operibus meruit audiri, antequam fidelis existeret.* Augustinus lib. de Prædest. SS. cap. 7. dicens: *Solet dici, ideo credere meruit, quia vir bonus erat, antequam crederet; quod de Cornelio dici potest, cuius acceptæ sunt eleemosynæ, & exaudita orationes, antequam credit differt in Christum. Nec tamen sine aliqua fide docebatur, & orabat. Nam quomodo inuocabat, in quem non crediderat? Sed si posset sine fide Christi esse saluus, non ad eum edificandum mitteretur architectus Apostolus Petrus; ergo Patres citati dicunt Cornelium, antequam ad eum mitteretur Apostolus Petrus, fuisse iustum solum imperfectè, & dispositiuè, & Augustinus docet ex fide imperfecta habuisse iustitiam illam imperfectam, & dispositiuam, ac fidem Christi fuisse illi necessariam ad salutem, ideoque ad illum missum Apostolum Petrum. Videri potest Vasquez 1. 2. disput. 192. cap. 1. vbi hanc sententiam sequitur. Iuxta hanc opinionem retorquetur argumentum, & confirmatur nostra sententia. Nam Cornelius licet aliqua fide crederet in Deum vt remuneratorem, & ex hac fide esset religiosus, ac timens Deum, & faceret multa opera bona, non potuit iustificari sine fide Christi, & ideo missus fuit ad eum Petrus, à quo instrueretur in fide Christi; ergo fides explicita Christi est ad iustificationem, & salutem necessaria.*

52. Secunda sententia, quam Cornelius in Comm. cap. 10. Actuum tribuit Bedæ, Dionysio, Lorino, Magistro in 3. dist. 25. ac ibidem Alberto, S. Bonaventuræ, & S. Thomæ, tum ibi, tum 3. parte, quæst. 69. art. 4. ad 1. & alijs, & quam probabiliorem existimant ipse Cornelius, & Gard. de Lugo disp. 12. de Fide, sect. 4. num. 90. docet Cornelium verè fuisse iustificatum, antequam crederet explicitè in Christum. Iuxta hanc sententiam dici potest Cornelium iustificatum fuisse, antequam sufficienter promulgaretur Euangelium; sed ante sufficientem promulgationem Euangelij sufficiebat fides Dei, vt remuneratoris per mediatorem promissum; ac Cornelius, cum maneret in Iudæa, potuit à Iudæis instrui in hac fide, & per ipsam iustificari; ergo non sequitur, quod post promulgationem sufficientem Euangelij non sit necessaria fides explicita Christi. Quia tamen iam inci-

piebat fides explicita Christi esse necessaria ex præcepto, ideo ad Cornelium missus fuit Petrus, vt per fidem explicitam Christi, & per baptismum, magis iustificaretur, & acciperet maiorem gratiam.

53. Ad 1. Apostolus ad Heb. 11. dicens: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia Deus est, & quia inquirentibus se remunerator est*, enumerat solum ea, quorum fides est ad iustificationem, & salutem adultorum necessaria ex natura rei, & ex obiecto; sed ad iustificationem, & salutem adultorum necessaria ex natura rei, & ex obiecto sola fides Dei vt remuneratoris supernaturalis, vt dictum est num. 16. fides Christi est necessaria solum, concomitanter, & ex diuina ordinatione; ergo &c. Eodem pacto respondeo ad 2. & 3. argumentum, quæ probant quidem solum fidem Dei vt remuneratoris supernaturalis esse necessariam ex natura rei, & ex obiecto, quod fatemur, non probant fidem Christi non esse necessariam concomitanter, & ex diuina ordinatione.

54. Ad 4. Ante aduentum Christi nemo poterat iustificari sine fide Christi sub conceptu mediatoris, quia ex diuina ordinatione nemini poterat sufficienter proponi ad credendum super omnia reuelatio Dei, vt remuneratoris supernaturalis, quin simul proponeretur sufficienter reuelatio Dei, vt remuneratoris per mediatorem, vt explicatum est numero 24. sed post Euangelium promulgatum nemini potest proponi sufficienter reuelatio Dei, vt remuneratoris supernaturalis, quin sufficienter proponatur Deus, vt remunerator per Christum vt passum, & mortuum pro peccatis nostris, vt dictum est n. 46. ergo &c.

#### QVÆSTIO CXLIV.

*Vtrum, & quorum articuloꝝ fides sit necessaria necessitate præcepti?*

1. **V**idetur non dari præceptum obligans ad exercendum actum internum fidei: primo quia tale præceptum, vel esset Ecclesiasticum, vel diuinum; & si diuinum, vel esset naturale, vel supernaturale; sed non potest esse Ecclesiasticum; nam Ecclesia non potest præcipere actus merè internos: non potest esse diuinum naturale; nam præceptum naturale non potest obligare ad actus supernaturales, qualis est actus fidei; nec potest esse diuinum supernaturale; nam præceptum alicuius actus debet præcognosci, antequam illum actum exerceamus; sed præceptum supernaturale credendi non posset cognosci, nisi per actum fidei, ac proinde non posset præcognosci, antequam credamus; ergo &c.

2. Secundo non potest explicari, quandoam hoc præceptum obliget; ergo non datur.

3. Tertio præceptum credendi deberet esse proprium virtutis fidei; sed non potest esse proprium virtutis fidei; ergo &c. Probatur minor: nam præceptum spectat ad illam virtutem, quæ ex amore sui obiecti formalis potest, ac debet velle obseruare præceptum; sed fides cum sit virtus intellectualis, non potest ex suo obiecto formali velle obseruare præceptum credendi; ergo &c.

4. Quarto non potest explicari, quænam deberent ex præcepto explicitè credi in lege naturæ, Mosaica, vel Evangelica; quænam debeant credi explicitè à maioribus, vel minoribus; ergo &c.

5. Respondeo plures esse quæstiones inueniendas in rationibus dubitandi.

6. Quaritur igitur primo, vtrum detur præceptum, & obligatio exercendi actum internum credendi?

Respondeo affirmatiuè cum omnibus Patribus, & Theologis. Probatur ex Scriptura. 1. Ioan. 3. *Hoc est mandatum eius, vt credamus in nomine filij eius*. Matth. ultimo. *Qui non crediderit, condemnabitur*. Ad Heb. 10. *Iustus ex fide viuuit. Quod si subtraxerit se, non placebit anima mea*. Ex his patet non solum dari præceptum credendi, sed esse præceptum gratæ, & rigorosum, ac obligans sub poenæ damnationis æternæ. Confirmatur ex Patribus. Irenæus lib. 3. contra Hæreses cap. 21. *Ignorantes eum, qui ex virgine est, priuantur munere eius, quod est vita æterna*. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 5. loquens de fidei symbolo, dicit: *Cauere, ne ob inscitiam pereas*. Idem docet Gregorius lib. 1. Reg. cap. 16. & lib. 7. epist. 47. Augustinus, & alij. Ratio autem est, quia omnes obligantur ad ponendam mediā necessariā ad salutem; sed ex dictis quæstione 141. fides est mediū necessarium ad salutem; ergo &c. Videri potest Suarius disp. 13. sect. 1. num. 1. & 2.

7. Quaritur secundo, vtrum præceptum credendi sit diuinum, vel potius sit merè Ecclesiasticum?

Respondeo procul dubio non esse merè Ecclesiasticum, sed diuinum. Probatur primo: nam Ecclesia non potest per se obligare ad actus merè internos, vt docent communiter Theologi; sed præceptum credendi per se obligat etiam ad actus merè internos; ergo &c. Secundo Ecclesia per sua præcepta non potest obligare, nisi subditos, eos nimirum qui per ianuam baptismi ingredientes in Ecclesiam, facti sunt subditi Ecclesiæ; iuxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 5. *Quid enim mihi de istis, qui foris sunt, indicare &c. Nam eos, qui foris sunt, Deus indicabit*; sed præceptum credendi obligat omnes, etiam antequam per baptismum facti sint subditi Ecclesiæ; iuxta illud Matth. ultimo, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur*; ergo &c. Tertio præceptum, quod intelligitur dari antecedenter, & independentè ab omni ordinatione Ecclesiastica, & hinc manans.